

PRORECTOR
ET
SENATVS ACADEMIAE
KILONIENSIS,

Ad
EXSEQUIAS

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI ATQUE NOBILISSIMI

DN. GEORGII
PASCHII,

S. THEOLOGIAE, ARTIS RATIONIS & PHILOSOPHIAE
PRIMAE PROFESS. PUBL.

hodie ab hora II.

ritu Christiano cohonestandas;

CIVES ACADEMICOS VNIVERSOS

peramanter atque officiose
inuitant.

K I L O N I,
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.





Unquam Academiis iustior grauiorque
moeroris causa est, quam cum earum cathedrae suis priuantur doctoribus, & viri doctrina morumque probitate conspiciuntur morte praematura e terris eripiuntur. Si enim omnes ciues iure laetari videntur, cum scholae illustres, reipublicae & ecclesiae seminaria, tantis se iactant viris, qui suis auditoribus rationem tradunt ad veram sapientiam, sempiternamque adeo felicitatem pertingendi, & superiorum lumina saeculorum reddunt: quo non dolore afficientur, ducibus illis suis in ipso laborum cursu extinctis? In tanto luctu, proh dolor! iterum versatur haec nostra Academia, cum post alios doctores eruditionis laude famaue eximios, etiam viro maxime reuerendo, amplissimo, & nobilissimo, Domino GEORGIO PASCHIO, Professore artis rationalis ac primae Philosophiae ordinario, Theologiae vero extraordinario, longe celeberrimo, nimis mature iusta soluere cogitur. Non immerito fidelissimi ac impigri Professoris titulum ipsi tribuimus, qui secum reputans, quam arduo muneri ex Dei Principisque voluntate praeesset, legendo, scribendo, docendo, disputando strenue suas peregit partes, suoque confirmavit exemplo, doctorem Academicum docentem mori oportere. Neque vero minus vita, quam voce docere gestiebat: ita omnibus sua ipse sanctimonia praeibat, utpote in eo totus occupatus, qui mentes auditorum non tantum solida doctrina, sed etiam vera pietate imbuerentur. Et ut Athenaei nostri splendor exteris quoque luceret, limites eruditionis suae non modo urbis nostrae pomoeria constituebat, sed etiam libris, duraturis ad posteritatem monumentis, inclarescere cupiebat. Sed cum par sit utique, piis manibus suum exhibere honorem, & nostri ratio officii exposcat, ut, quantum virum obitu nostri PASCHII amiserimus, vobis exponamus: historiam vitae eius ex more solemniter breuiter ab initiis contexamus, virtutumque exemplar omnibus proponemus ad imitandum. Et vero si recte iudicant illi, qui hanc non ultimam felicitatis humanae partem censent, honestis parentibus suam debere originem, ac in ea urbe, quae gloriae & ingeniorum laude maxime floret, in lucem editum esse, ea quoque nascendi sorte usus est noster: natus quippe Gedani, Borussiae Polonicae urbe clarissima, & emporio celeberrimo, patre HENRICO PASCHIO, ciue & mercatore ibidem spectatissimo, matre vero ELISABETHA RHEINFELDIA, matrona omnibus sui sexus virtutibus ornata. Auius eius paternus fuit, AREND PASCHIVS, ciuis & mercator Rigenfis: auia paterna ANNA FROELICHIA, spectatae probitatis femina. Auum maternum natus est DANIELEM RHEINFELDIVM, ciuem & negotiatorem Gedanensem: auiam maternam BARBARAM STEFFENS. Proauum paternum habuit HENRICVM PASCHIVM, apud Lubecenses ordinis Senatorii virum: proauiam matrem ELISABETHAM BVNIGIAM, Proauus

auus maternus fuit ARND KLEINFELDIUS, ciuis & mercator Dantiscanus: proavia materna ELISABETHA SCHVLZIA, matrona honestissima, omnique virtutum laude conspicua. His parentibus maioribusque honestissimis anno MD LXXI. d. XXIII. Septembris noster ortus, ac sacro fonte ablutus, statim a primis infantiae annis clarissime ostendit, se non carere virtutibus auitis, sed indolem suae stirpis atque originis referre. Iam enim in puero conspiciebantur praeclare indolis certissima signa, quae nescimus quid eximii minitabantur, non secus ac vapores, quos terra tempore matutino exhalat, aquam in abstrusis cauernis latentem indicare solent. Laetabantur parentes de filiolo suo, cum ipse, rudimenta verae pietatis domi & in ludo patrio positurus, WAGNERO & KRICKIO praeceptoribus adhaereret, easque artes, quibus puerilis aetas impertiri solet, celeriter comprehenderet, sicque futurae sapientiae iaceret fundamenta. Patre interim anno MD LXXII. defuncto, mater ipsum quarto post anno Graudentium Poloniae in Borussia oppidum misit, ubi occasione sic terente linguam Polonicam, intra biennii spatium tam promte addidit, ut ea, praeceptis Theologicis postea imbutus, plebem Christianam in conuentibus publicis docere posset. At longe maiora industriae specimina Gymnasii Gedanensis Professoribus dedit, illuc quippe anno MD LXXVIII. tanquam ad optimum artium mercatum, missus, AEGIDIUM STRAVCHIVM, SAMVELEM SCHELGVIGIVM, JOHANNEM PETRVM TITIVM, WOLFGANGVM ROSTEVSCHERVM, R. JOH. SALOMONEM & FRIDERICVM BVTHNERVM, doctores ductoresque secutus, egregios adeo in diuiniis pariter atque humanioribus literis fecit progressus, ut non solum anno MD LXXX. praeside Strauchio, de diuersis doctrinae Christianae capitibus, Breuiario eius Theologico comprehensis, aliquoties publice cum laude disputaret, sed etiam anno sequenti Gedano abiturus, dissertationem de *Rechabitis*, ex *Jerem. cap. 35.* solempni subiiceret disquisitioni, praesidis partes agente Doctore Schelgugio. Quanto maiorem vero adhibuerat diligentiam, ut linguarum artiumque cognitione animum instrueret: tanto deinceps uberioribus ex Academicis lectionibus capiebat fructus, cum ad altiora studia non imparatus accederet. Anno enim MD CLXXXI. suadentibus amicis de voluntate matris Rostochium iter meditans, nostrum quoque Kilonium transit, mansurus ibidem, amoenitate loci captus, nisi res suas ad Varniacam Academiam iam transmisisset. Huc itaque delatus, ac in numerum ciuium studiorum receptus, Doctoribus ibi tunc temporis celeberrimis, VARENIO, COBABO, SCHOMERO, DOEBELIO & WOLFFIO attentum se praeiuit auditorem, eruditionemque suam haut contempendam satis approbavit. Inde vertente anno Vitembergam se contulit, non alia mente, quam ut in disciplinarum studiis, quae iam erat ingressus, diutius versaretur, & Professorum, doctrina meritisque ornatissimorum, sibi conciliaret animos. Quoties autem humana consilia commutentur & turbentur, Deo sic volente, non sine moerore expertus est noster: ut qui de obitu dilectissimae matris inopinato certior factus, relicta hac Musarum sede, in Borussia reuerti cogebatur. Neque tamen hoc impedimentum, quod iniiciebatur, ipsi impedimentum, sed potius nouum virtutis ac laudis incitamentum erat, cum calamitatem sibi illatam in materiam suae felicitatis conuerteret, & hac occa-

castione tam prudenter uteretur, ut Regiomontum, eiusque Professores DREIERVM, ZEIDLERVM, SANDENIVM, WERNERVVM, PFEIFFERVVM, at quantos viros! salutaret, eorumque sibi compararet benevolentiam. Interfecto postea aliquot mensium spatio, Francofurto ad Viadrum & Berolino iter faciens, Vitembergam se recipiebat, & ductu Theologorum ac Philosophorum clarissimorum, CALOVII, cuius & conuictu fuit usus, QUENSTEDTH, DEVTSCHMANNI, WALTHERI, MAYERI, SENNERTI, ZIEGRAE, KIRCHMAIERI, STRAVCHII, ROERENSEII, SCHVRTZFLEISCHII, DONATI & DASSOVII, tanta cum cura ad intermissa paulisper studia sua incumberebat, ut dignus haberetur, cui anno MDCC LXXXIV. summi in Philosophia honores conferrentur. Nec frustra laurea illa erat insignitus: quandoquidem vix elapsis sex mensibus, praefide D. Ziegra ex philosophia naturali disputans, se ad scientias publice docendas satis idoneum demonstrabat, pauloque post non solum propositiones suas, *de pluralitate mundorum contra Cartesianos* editas, praefidis munere ipse functus, mascule defendebat; sed etiam ciues Academicos, scheda publice affixa inuitatos, cum laude instituebat, Professoribus ipsis de tanto ornamento Vitembergae gratulantibus. Nec minorem laudem merebatur, cum anno eodem a. d. xxiv. Decembris *de operationibus daemonum* differeret, & omnibus applaudentibus disputationi iterum praeesset. Postero tempore anno scilicet MDCC LXXXV. perlustratis oppidis Saxoniae insignioribus, Dresda, Deslauia, Torgauia, Misnia, Lipsiam contendebat, ubi propter bonarum artium culturam, & incolarum ipsiusque urbis elegantiam anni dimidium consumpsit, non minimam felicitatis partem arbitratus, viris eruditione atque fama maximis, MOEBIO, LEHMANNO, CARPZOVIO, OLEARIO, ALBERTO, THOMASIO, FELLERO, RECHENBERGIO, MENCKENIO, aliisque innotescere. Fuitque haec causa, cur Doctorem SCHVBARTVM, & JO. GODOFREDVM OLEARIVM Halis; BECHMANNVM, BAYERVM, VELTHEMIVM, WEIGELIVM, SAGITTARIVM, SCHVBARTVM & SCHMIDIVM Jenae, Erfurti vero D. JO. BALTHASAREM HABERKORNIVM inuiferet, sibi que beneuolos redderet. Quo facto, Vitembergam reuersus, scholas priuatas rursus instituit, & an. MDCLXXXVI, praefidis locum tertia vice tenens, *de causis praecipuorum iudicii defectuum atque errorum, qui obsunt promovendo rei literariae commodo*, disceptauit publice, atque a Walthero inter Adiunctos Philosophiae adscriptus, praefidis personam quarta vice suscepit, pro loco in ordine philosophorum rite obtinendo disputans, propositionesque suas *de brutorum sensibus* palam discutiendas dedit. Tot itaque ac tam praeclaris artibus instructus, exteris quoque regiones videndi cepit impetum, non ut multos populos variasque terras oculis tantum perlustraret, & hac inani; moxque euanescente voluptate frueretur, sed ut diuersarum gentium mores, instituta, ritusque cognosceret, simulque viros de re literaria meritissimos ubique adiret, opes doctrinae, multo labore partas, adhaeretur magis, & usu experientiaeque cumulaturus. Hoc consilio statim in Academiam Altorfinam concessit, ibique viros ingenio florentissimos, SAUBERTVM, REINHARDVM, FABRICIVM, WAGENSEILIVM, STVRMIVM, OMEISIVM, ac ROETENBECCIVM audivit, & qua erat humanitate, facile sibi adiunxit; illorumque consuetudine plurimum profecit, cum ipsum & beneuole exceperint, & honesto in proposito magno-

gnopere confirmarint. Hinc Iustratis in itinere Norimberga, Ratisbona, Monachio, Augusta Vindelicorum & Ulma, Tubingam commeauit, virosque eruditissimos, quibus illa tum superbiebat, OSIANDRVM, KELLERVM, MVLLERVM & HAEBERLINVM coram vidit ac veneratus est. Tum Argentoratum profectus, nihil magis in votis habuit, quam ut cum huius quoque Academiae Professoribus SEBASTIANO SCHMIDIO, ISAACO & JOHANNE FAVSTIIS, itemque ZENTGRAVIO amicitiam contraheret. Inde traiecto Rheno, Visbadam & Schwvalbacum petiit, ibique acidulis aquis utens, in multorum doctissimorum virorum familiaritatem venit. Post Francofurtum ad Moenum, nobile emporium, urbesque Hassiae literarum studii maxime claras, Gieslam & Marpurgum, inuisit, & illic in D. HANNEKENII, RVDRAFFII, CHRISTIANI & CLODII: hic vero in D. HEINII, DVYSINGII, ANDREAE, TILMANNI & WALDSCHMIDII gratiam se insinuauit. Visis & Hassiae Academiis, Colonia & Clivia, iter conuertit in Bataviam, & cum praecipuas eius urbes contemplatus esset, Lugduni per hyemem substitit, & ex eruditis colloquiis, cum SPANHEMIO, MOYNIO, TRIGLANDO, SENGVERDO & VOLDERO saepius habitis haut spernendos retulit fructus, quemadmodum & Ultraiecti ex D. WITSII, LEYDECKERI, MASTRICHTI, GRAEVII, LEVSDENII aliorumque scholis, quibus frequenter interfuit. Groningae etiam & Franckerae pariter viros, eloquentiae doctrinaeque laude inclitos, van der WAEYEN, ROELLIVM, VITRINGAM, BLANKARDVM, PERIZONIVM, RHENFERDVM, BRAVNIVM & MARCKIVM, alibi alios accersit, notitiam eorum sibi comparaturus. Cum vero primarias Germaniae & Bataviae Academias, & quosillae habent, Professores famigeratissimos ea ratione saluasset, cursum in Galliam, praestantissimorum ingeniorum feracissimam, direxit, & Bruxellis Lutetiam Parisiorum venit, urbem totius fere Europae, & magnitudine, & hominum frequentia, & studiorum celebritate clarissimam. Hic noster ita versatus est, ut ad doctissimos Gallorum MENAGIVM, HVETIVM & alios, celebratissimas item Bibliothecas sibi aditus pateret, congressibus quoque & colloquiis literariis quotidie interessere liceret. Dicitur non potest, quanopere his fuerit delectatus, quamque cupide doctorum hominum exasciatas meditationes, deque variis rebus sententias, non minus animo quam calamo exceperit. Ex Gallia Rhotomago & Deppa profectus, in Angliam nauigauit, ut urbes pariter splendore eximias, virosque ingenio & doctrina excellentissimos, quibus illa abundat, inuiseret, exemplanque in illustri posita in suum usum seligeret, menteque complecteretur. Nauem itaque conscendens noster, littora Britanniae legit, & primum Londinum, totius regni caput, emporiumque ad Tamesin fluuium celeberrimum adiit, & quicquid ibi uisu notatuque succurreret dignum, indagauit. Inde Oxoniam & Cantabrigiam, urbes Academiis illustres, conspexit, & ubique fuit, cum viris omni eruditionis genere politissimis, imprimisque STILLINGFLETO, BAXTERO, BOYLO, BEVERLANDO, POCOKIO, BERNARDO & PLOTIO assidue versatus est. Vindeforium autem, oppidulum, in limite Oxoniensis prouinciae situm, ut contenderet similiter, fama ISAACI VOSSII effecit, quem singulari captus doctrina viri, non semel conuenit, nec sine fructu. Tot igitur consecutis itineribus, tot regionibus ac urbibus perlustratis, tandem reuersus in Germaniam, & cupiditate ductus uidentae Bibliothecae illius toto orbe celebratissimae, quae Guelpher-

byti afferuatur, confestim eo se contulit, pluteosque haut segniter excussit, annotatis diligenter, quaecunque ex raris codicibus ibi arriderent. Illinc reflexo itinere, spei plenus Academiam Juliam, praestantium ingeniorum a longo tempore altricem & nutricem, quae Helmstadii exserit caput, petit, ubi mirum in modum illius sibi deuinxit Proceres ac Professores, FRIDERICVM VLTRICVM CALIXTVM, MEIERVM, HEIGELIVM, WIDENBURGVM & EISENHARTVM, quippe a quibus beneuole exceptus, liberaliterque habitus est. Tandem vero pertaesus peregrinationis, quadam ex tot molestiis imbecillitate contracta, leuamentum quaesiturus, non casu, sed fato quasi in nostram delatus est Academiam, cui Deus hoc destinauerat ornamentum. Praefagire hoc animo videbatur noster initio statim profectionis suae, cum studiorum caussa Rostochium contenderet, hancque Christianalbertinam videret in transcurso: siquidem eo iam tempore incredibili desiderio hic commorandi tenebatur, situ urbis & cultu ciuium, Professorumque, quibus illa tunc florebat, claritate permotus. Praefagium profer euentus respondit; nam quamuis ideo huc accessisset, ut per hiemem valetudinem infirmam curaret, viresque debilitatas reficeret: Deo tamen sic volente, immortalis memoriae Princeps CHRISTIANVS ALBERTVS, conditor Pindi huius & eius incolarum nutritor magnificentissimus, solidiori illius scientia cognita, non dubitauit, quin eum muneri Professoris ordinarii praeficeret, dignumque iudicauit, qui in locum Professoris Heldbergii, tum forte defuncti, surrogaretur, eamque Philosophiae partem, quae de hominum moribus tractat, publice traderet, quod contigit anno MDC LXXXIX. Gratulabantur non ita multo post nostro omnes, eodem anno cum virgine lectissima ornatissimaque, AVGVSTA CATHARINA, Theologi quondam apud nos primarii, & Academiae Procancellarii, CHRISTIANI KORTHOLTI, filia nuptias facienti: idque adeo ipsi prospere euenit, ut sine ulla offensa & iurgio suauissimum ad hoc usque tempus, sterile tamen, coniugium habuerit: quo nomine nescimus feliciorne is, an infeliciores sit censendus? Neque enim omnes Metelli illius fortunata sorte gaudent, quem, summis honoribus & tandem vita defunctum, quatuor filii, omnes dignitate Consulari conspiciunt, quae maxima apud Romanos in libera republica erat, quidam etiam triumphalibus ornamentis insigniti, illatum suis humeris in rogam imponerunt. Priami certe tanto calamitosior miserioque conditio fuit, quod post quinquaginta filios, suo in conspectu ab hostibus immaniter trucidatos, ipse extremo loco inter sacra & altaria Deorum interemptus, suo cruore a se ipso consecratos ignes scaevo omine exstinxit. Jam si hodierna intueamur tempora, statumque mortalium aliquanto consideremus penitus, animadverteremus, facilius eos Troiani huius, quam illius Romani fata experiri. Illud potissimum, fatemur, liberi conferunt ad gaudium parentum, quod genus eorum nomenque conseruant & propagant, quasi columnae ruentis altiorum domus, uti Poeta Graecus virilis sexus stirpem appellat: si in primis illi effigiem morum virtutisque paternae referant. Atqui id libri, fetus ingeniorum probe subactorum, longe plerumque fidelius praestant: per quos & noster gloriae suae consuluit egregie atque prospexit. Quis enim nostrum ignorat varias dissertationes, ab eo in literas relatas & publicae expositionis disceptationi, *de homine fortunae suae fabro; de licitis diuitias acquirendi modis; de passionum nostrae ac Christi hominis, animae differentia;*

de

do actionum humanarum principio, & de fidei rebus publicis. Mittimus disputationes, eo praefide auspicii loco habitas, quas ipsi magisterii candidati elaborarunt; tacemus item dissertationes Fridericianas, de exquisitissimis ex morali philosophia eiusque historia literaria argumentis institutas; quas si omnes hic vellemus recensere, nae in praegrandem molem haec nostra excreveret scriptio. Omnes certe illae cum praestantissimi sint monumenta ingenii, ac documenta industriae singularis, non dubitamus, quin memoriam defuncti apud posteros etiam sint renouaturae. Innotere merita uiri exteris passim, communemque meruere applausum: ut mirum non sit, Vismarienses praeclearis eius dotibus, a magno quodam fautore commendatis, magnopere permotos, anno 1700 cxciii. eum Pastorem primarium ad aedem diui Nicolai, & Senatus ecclesiastici ibi Assessorem designasse: quod tamen amplissimum licet munus certis de causis ille recusauit, decreuitque ea in Academia publicum porro procurare commodum, cuius a Rectore ac nutritore magnificentissimo alias sibi dignitates denegatum non iri, haut vane sibi pollicebatur. Interim Prorectorem ipse tribus diuersis vicibus, anno scilicet superioris saeculi xci. & xcvi. huius autem III. egit, & ita quidem egit, ut peruicaces legum contemtores humanitatem eius cum seueritate coniunctam vererentur, boni uero tenerrimo amore & honore prosequerentur. Quod inprimis de nobilissimis illis iuuenibus possumus praedicare, qui ab ipso Brabeuta praemia diligentiae, artium ac scientiarum studio nauatae, tulerunt, laurea Philosophica solemniter in coetu redimiti: duodecies enim Decanus ordinis sui, quater eum distribuit honorem, & sex Philosophiae Magistros creauit. Quam grauius uero publice priuatiueque obliuerit suum munus, quamque uariis modis saluberrimam iuuentuti omnisque hominum aetati de formandis moribus doctrinam inculcarit, nunc eam ex tabulis explicans, nunc per quaestiones euoluens, nunc cum Mosaiscis conferens praeceptis, nunc ex antiquis Philosophorum decretis repetens, ut in se nihil desiderari pateretur, quominus solide instituerentur auditores; quam item dextere concionandi artem docerit subinde, cum eam qui profiteretur, deesset; quam feliciter quoque ad Anglicae notitiam linguae instituerit eius studiosos, qui Anglicos oratores sine interprete intelligere dicentes cupiebant: non iam vacat ampliter commemorare. Librum autem eius *de nouis inuentis, quorum accuratiori cultui facem praetulit antiquitas*, (quae materia antehac inter desiderata fuerat) anno 1700 ccc. ab ipso denuo euulgatum, praeterire eo minus debemus, quo magis illustrissimum illud haut proletrariae specimen eruditionis doctissimorum virorum praeconiis condecoratum, & quod posteritati quoque traderetur, dignum fuit iudicatum. Suspexit & clementissimus Princeps noster virtutes & doctrinam impigerrimi Professoris, eique praeter scientiam moralem, non solum professionem artis rationalis & primae philosophiae demandauit anno insequenti 1700 cccii. sed etiam ipsam coelestem sapientiam, diuinis oraculis comprehensam, docendi fecit potestatem anno 1700 ccciii. Quin eo usque procedebat indulgentia Principalis, ut anno elapso 1700 cccvi. Professor Theologiae extraordinarius constitueretur noster, qui eam quoque Spartam, quoad concessit quidem corporis valetudo, *Orthodoxam Thein* publice declarando, egregie ornauit. Quin & totam Theologiam, quam XXVII. dissertationibus complexus est ipsius venerandus

FK Tm 8712

VDAR

x 3043917


dus sacer, denique decreuerat disputando excutere, iamque oppugnatores eius-
 dem & defensores scripto inuitat: sed fata, quibus repugnare nefas, prohibe-
 runt. Inter haec diu expectatum ab eruditis librum *de variis moralia tra-*
dendi modis, una cum *introductione in rem literariam moralem veterum sa-*
pientiae antistitum in lucem emisit. Haec eius praeclara scripta possidet
 iam ac tractat literatus orbis, tractabitque in posterum, dum istis studiis
 suus honor non deerit: adeo in iis omnibus acumen ingenii, doctrinae fan-
 tias, iudicii lima & admirabilis perspicuitas uenustasque elucet Romani
 styli. Sed & alia indefessi vir laboris adornarat, iamque consilium ceperat
de senili pariter atque iuuenili Theologiae facie singulari opera commentan-
 di, & alia quoque meditabatur, quorum nunc, ut cum Poeta loquamur, ope-
 ra quasi interrupta, & ingentes murorum minae pendent. Dolent de hac
 iactura omnes, quicunque gaudent de incremento literarum, quod erudi-
 tionis a nostro datum iri maximum confidebant, utpote cuius, siue coram si-
 scripto docentis, proprium erat ac peculiare donum perspicuitatis, a Deo
 Opt. Max. concessum. Longum foret, si quomodo ad regiam Christi le-
 gem se conformarit, qualemque se moribus gesserit in Deum hominesque
 pariter, operose uellemus enarrare: testis haec ipsa Academia ciuitasque uni-
 uersa possit esse, quo ille studio, qua animi contentione elaborarit, ut se inte-
 grum vitae scelerisque purum, ceu ait ille Venusinus, coelo terraeque ap-
 probaret. Vnde factum, ut sua se virtute inuolueret, quotiescunque ingru-
 eret aduersus casus, quo nuper afflictus est maxime fatali. Ab aliquot iam
 annis ex vitio fortean hereditario dispositionem quandam ad *καχεξια* sen-
 sit, quae ante biennium in hydropem coepit degenerare: a quo tamen cura
 & ope efficacissimorum medicamentorum, ab experientissimo Doctore
 WALDSCHMIDIO praescriptorum, ita conualuit, ut de nulla molestia ad
 praeteritum usque ver conquereretur. Sed bene sperantem, viresque
 subinde colligentem, morbus denuo velut ex insidiis inuasit, ut magis, quam
 antea periclitaretur. Et quamquam Medicus ipsius pharmacis praestantissi-
 mis contra niteretur, nec leuis spes recuperandae sanitatis ipsi aegroti af-
 fulgeret: haec omnia tamen frustra fuere, cum octiduo ante obitum nostri,
 angustia pectoris, aqua iam oppleti, (quod malum Medici hydropem pecto-
 ris nominant) per difficilem admodum respirationem manifeste se prode-
 ret. Hinc opinione citius non sine ingenti suorum, & omnium
 nostrum desiderio a. d. XXX. Septembris post horam duodecimam
 pomeridianam placido animo, nec trepidante, exspirauit, postquam
 vixerat annos XLVI. & dies VII. honori vero & commodis Academiae
 inferuierat annos admodum XVIII. Vestrum erit, CIVES, optimo praeceptoris
 vestrotam diu, tamque praeclare de studiis vestris merito, quandoquidem
 officii aliis colore eum amplius haut potestis, supremum honorem humiliter
 praestare, exsequiasque, a moestissimis cognatis apparatus, frequenti vestro
 condecorare comitatu. P. P. Dominica XX. post Trinitatis anno CIO MCCVII,



mc.

FR 132
25

II n
8712



DIRECTOR
ET
VS ACADEMIAE
ONIENSIS,

Ad
XSEQVIAS
ENDI, AMPLISSIMI ATQUE NOBILISSIMI

GEORGII
SCHII,

RTIS RATIONIS & PHILOSOPHIAE
IMAE PROFESS. PUBL.

hodie ab hora II.
Christiano cohonestandas,
DEMICOS VNIVERSOS
ramanter atque officiose
inuitant.

K I L O N I,
tholdi Reutheri, Academ. Typogr.

